



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

87. Soter furtium equum bonâ fide emit florenis 50: & mox in alio loco eundem vendidit 70. florenis alicui extero; interea etsi versus equi dominus compareat, ei tamen nihil debet Soter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

entionem ad voluntatem concedentis stipendium applicet. Ita Azor, Sa, Suarez *D. 83. f. 3.* Barbof. 2. p. *de potest. Episc. alleg. 24. n. 32.* Lugo *Tom. 1. de Sacr. D. 21. n. 35.* & alij. Ratio est, quia decentius est, Sosthenem in celebratione conformare se vniuersalis Ecclesiæ præcepto, quàm ob voluntatem petentis vti priuilegio & permissione.

Ad primum in contrarium dicimus, tam voluntatem rationabilem petentis, quàm speciales Missarum orationes sufficienter compensari executione voluntatis Ecclesiæ, quæ Missam talè eo die præscribit celebrandam, vt rectè Palao Tr. 22. D. vnic. p. 14. num. 10. atque sic etiam patet ad secundum.

LXXVII. *Soter nuper bonâ fide emit equum Augustæ 50. florenis, quem eadem bonâ fide statim transuexit Ratisbonam, ibique in Comitibus Imperialibus 70 flor. vendidit alicui extero, qui statim eum secum abduxit, simulque innotuit, illum esse alienum. Queritur. Vtrum Soter teneatur ad aliquam restitutionem domino comparenti faciendam?*

Videtur teneri. Ita Bannez & Arragon. 22. q. 67. art. 6. dub. 1. Ledesma, Sayr. & alij. Quia pretium, inquit, succedit loco rei. Subscribit aliquousque Bonac. *D. 1. de Restit. in genere. q. 2. p. 1. n. 9.* ratus, Soterum saltem lucrum, quod in venditione fecit, restituere teneri, quia in illo factus est ditior.

Resp.

Resp. Soterū ad nullam obligari restitutionem. Ita Molin D. 721. Less. Rebell. Lugo D. 17. de Iust. n. 19. & alij. Ratio est, quia Soter non tenetur ratione iniustæ acceptio- nis, propter bonam fidem, quam semper ha- buit: nec ratione rei acceptæ, ex quâ non est factus ditior: nec denique ratione lucri in venditione acquisiti, quia illud non à re alie- nâ, sed à propriâ industriâ obuenit, vt rectè aduertit Molin. *loc. cit. n. 6.* qualem fructum industrialē Laym. *Tr. 4. de Iust. cap. 13. §. 3. n. 25.* futurum fuisse censet, etiamsi Soter abs- que transportatione equum statim Augustæ prædicto pretio & lucro vendidisset, quid- quid secus sentiant plerique alij. Nam si esset fructus naturalis, vel civilis, sequeretur, eti- amsi dominus recuperâset rem suam ab vl- timo emptore, adhuc istum emptorem medi- um teneri illi restituere illud lucrum, tan- quam fructum rei suæ, quod nemo dixerit.

Atque ex his patet ad rationem in contra- rium; nam quando dicitur, *pretium succedere loco rei*, intelligendum id de pretio debito pro re, quale in præsentī non est penes Soterum, cum nec res amplius in ipsius sit dominio. Constat quoque eundem non debere lucrum restituere, cum illud non res ipsa, sed propria industria fecerit.

LXXXVIII. *Sulpitius mercator dolet apud se paucos emere, multos autem apud Seruilianum vicinum.*